

ANN. XVI - FASC. X


MENSE OCTOBI MCMXXIX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Octobri MCMXXIX

Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

De Sancti Hieronymi vita

Qui studiis litterarum animum oblectant, maxime qui haec in artem redigunt tali via ac ratione, ut variam temporum faciem e scriptoribus depromant et fingant, non neglegent quae S. Hieronymus litteris mandavit. Hic anno cccxxxi Stridone natus est, quo nomine oppidum quoddam Dalmatiae nuncupabatur. Sed qui peracre ingenium a pueris manifestum ficerat adolescensque magis in dies desiderio scientiae sapientiaeque flagrabat, hunc viginti annos natum vox Romae optatissima, cuius humanitas ubicunque terrarum valde clarescebat, ad se arcessivit. Haec civitas quidem, provinciarum domina, in animo iuvenis et mente et forma praestantis, magnam certe vim habuit. Ille vero, quum se totum ad litterarum studium, duce Aelio Donato, in gramaticis praecclare versato, contulisset, graeco sermone variisque disciplinis brevi institutus est, sed maxime, ut mos erat, rhetoricae vacabat, in quibus eminuit. Nunquam vero in eo cognitionis cupiditas Christi dilectionem attrivit; quin immo alteram altera fovebat, ita ut neque Romae celebritas, neque publica magnificentia, neque privata luxuria, neque corruptelarum illecebrae, maxime fallax fucata

taque mulierum forma, a summis amoribus Hieronymum abduxerint, nec unquam caecum reddiderit tanta caligo mali. Hic enim semper spectat caelestia, quumque in frequentissima civitate maneat, consuetudinem studiorum meditationemque totam societatem suam facit. Quotiens haud dubio in cryptas Christianorum se abdidit! quotiens sidera attigit, martyrum pronus ad monumenta!

Sacro fonte ablatus a Liborio pontifice, aliquot Romanorum Imperii, semper discendi causa, provincias peragravit; sed Solyma petens, Antiochiae in morbum incidit. Postquam sanatus est, eum quinque annos deserta Chalcidica possident, dum praeclaris cogitationibus, precibus, ieuniis studiis se exercet. Porro amplissimos presbyteratus gradus adeptus, Byzantium se contulit, praeclaro Gregorii Nazianzeni nomine alliciente.

Anno ccclxxxii rursus Romam visit, comitante Paulino Antiocheni, ut concilio adesset, quod ad componendum schisma Meletii coactum erat, iussu Damasi, Christianae Ecclesiae supremi tunc moderatori, qui etiam posteris nomen sui tradidit carminibus, quibus Vergilii vestigia persequens, plurima martyrum monumenta exornavit.

Dum Romae Hieronymus in divinarum rerum contemplatione perseverat, minime

tamen quae sunt in usu vitaque communis praetermittit, quippe qui optimis praecipitis et institutis mentes animosque matronarum quarundam formaret, praesertim in explanatione Sacrarum Litterarum. Damasus alacritatem eius tam sanctam magis in dies admiratus (neque vero visitanti ingenii ipsum effugerat), ad se denique arcessivit, a secretis muneri praeposens atque ad Sacras Litteras recognoscendas; negotium profecto grave atque magnificum.

Sed tristis hora venit, qua animus Hieronymi, suavi amore Dei imbutus, sed pariter nobili quadam ira exardescens, colluvie malorum Urbem volutante, non in homines, sed in eorum corruptos mores, flagitia, scelera, magna voce ita increpuit, ne excepta quidem labanti disciplina sacrilarum, ut quae primum temeritas linguae fuerit, postremo in odium vexationemque profuderit contra Hieronymum, qui, Damaso patrono iam morte deleto, ab Urbe proficiisci coactus est. At nihil mirum quidem, si in tot tantisque adversariis extiterint, qui sequuntur sint eum; ut Paula vidua eiusque filia, quae, delectamenta inania spernentes atque virtutibus doctrinaque Hieronymi illectae, ad summa atque in omni genere perfecta desiderio pervenienti amplissimo animo flagrabant. Tum hi omnes profugi Roma relicta, per Aegyptum Palaestinamque vagantur, atque dum solitudo illarum regionum praeter cetera oblectamenta in eorum medullis ac visceribus haeret, pro nihilo auram rumoris habentes, diu cogitata caelestia secum ipsis retinent. Postremo Betlem constituerunt, ubi confestim coenobium, Paulae sumptu, exaedificatum est, cui Hieronymus praefuit, Paula autem rectoris munere fungebatur. Ne desuerunt quidem quae hospitium peregrinis praebent, neque scholae ad erudiendos litteris graecis atque latinis procum liberos una cum Paulo et Eustochio, Hieronymo

magistro. Interea quum is Romae elementa hebraicae linguae percepisset, maiore animi contentione ita studio operam dedit, ut celeriter eiusdem sermonis dominatum occuparet, atque tempus absumeret ad arripiendum genus linguae aramaicum, quod iam Christus Servator noster loquutus erat. Quae studia effecerunt ut Hieronymus penitus Sacras Litteras introspicceret sive ex hebraica lingua in latinam verteret, sive earundem explanationi vacaret. Denique saepius ab Origenianis et Pelagianis iniuriis insectationibusque affectus, gravis annis, animo virescens pridie kalendas octobres anni ccccxxi mortem obiit.

Permulta quidem Hieronymus, ut eius alacritas brevi memoretur, scriptis mandavit, quorum alia ad explanationem atque ad translationem Sacrarum Litterarum pertinent; alia autem, nec non magni momenti, de rebus gestis atque de temporum ordinibus agunt, ut *De viris illustribus* et *Chronicon*. Neque paeclarata quaedam opuscula, quae de vita et moribus sunt, silentio praeteribo, neque epistoliarum thesauros, quarum nescis magisne colorem latinum admireris, an sensus animi motusque.

Quum ita breviter summatimque Hieronymi curriculum vitae attigisse, tantusdem brevis atque humilis ero epistolaram eius existimator. Non me latet eleganter et copiose plerosque in hac provincia collegisse. Ut ceteros taceam, M. D'Amico nominabo, cuius opus¹ messem huic incepto accommodatam nonnunquam mihi suppeditavit.

In primis quidem pro certo habeo Hieronymum in epistolis suis praeter cetera scripta totum se praebere in animi constitutione, moribus motibusque. Nam modo vis, impetus animi igne incensus exsurgit,

¹ M. D'AMICO, *Girolamo di Stridone e le sue epistole. Studio letterario*. Acireale, 1902.

modo vir ille pius et mitis, cuius dulcedinem et virgineum candorem nunquam admirari cessabimus. Praeterea persaepe iuvenem, cuius in mente praeteritae voluntates resonant, cernimus, et inde poenitentem, qui diutius lacrimis, doloribus conficitur. Neque facies viri humanis litteris eruditis desideratur, in quo elegantia insit, quique dicendi specie ac pompa delectetur. Magna denique eximiaque vis defensoris Christi verbi, et artificis, ut ita dicam, animorum maxime puellarum, virginum viduarumque ex epistolis erumpit. Quae omnes dissertationes cum eleganti et praestantissima oratione ita connectuntur, ut splendidum praebent studium non tantum veterum scriptorum, sed etiam Latinorum et Graecorum antiquitatis. Quamquam vero Hieronymus die quodam aetatis suae propter nimium saecularium litterarum studium in somnio accusatur, quod «Ciceronianus sit, non christianus» et ille contra: «Domine, si unquam habuero codices saeculares, si legero, te negavi», deurans clamat², nunquam tamen priscam vestem exuit, ut scripta eius deinceps fidem faciunt. Quod magis apparet quum legimus Rufino reprehidenti, quod eadem vestigia sequeretur, promissiones in somnio factas rem nullius pretii esse Hieronymum respondisse.²

Porro in hoc usu et admiratione gentilis humanitatis Hieronymus et Augustinus Hipponensis inter se differre videntur, quum ille antiquitatem admiretur et in ea delectetur, quippe quae speciem pulchritudinis eximiam quandam in se habeat, hic eadem utatur ad infirmandos mores gentiles, ut Christianae veritatis pulchritudo clarius eniteat. Quod, exempli gratia, compertum habemus quum Augustinus excidio Romae ad etnicae religionis famam inquinandam adducatur, quumque

¹ Epist. XXII ad Eustochium.
² Contr. Ruf. I. 30-31.

Hieronymus non solum ipso excidio non gaudeat, sed doleat, quin immo in lacrimas effundatur.¹

Tamen asseverare non dubito Augustinum ut Hieronymum veterum scriptorum humanitatem usurpavisse; sed in hoc, puto, alter altera ratione usus est. Etenim, ut ad elegantiam Hieronymi revertar, multum ille in epistolis a probatissimis scriptoribus sumit et saepe locos Ciceronis, Vergilii, Plauti, Horatii profert.

Haec consuetudo efficit, ut aliquando indoles nativa orationis minuatur, dum saepe auctor ipse candide fontes, e quibus cogitata sua haurit, memorat. Sic enim Hieronymum cogitationem in libris Ciceronis, Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Posidonii, Crantorius defigentem cernimus priusquam ad Heliodorum Epitaphium Nepotiani mittat, itemque in epistola ad Laetam paecepta quaedam Quintilianii sunt; in epistola ad Fabiolam vestis cultusque sacrilarum descriptionem ex antiquitatibus Iosephi Flavii sumptam reperimus, atque iterum ex Commentario in Galatas Hieronymum fatentem a se antea Origenem et Didymum, Apollinarem Ladiensem, Alexandrum, Eusebium Emesenum, Theodorum Heracleotan studiose perlectos audimus.

Praeterea in studio litterarum doctrinaeque princeps rationis ac viae huius temporis sectator Hieronymus appellari licet. Hic enim diligenter libros investigabat nec codicum collationes neglegebat, priusquam immutable iudicium ratum daret, in quo fere semper signum nativum mirifice impressit.

Profecto mirabilis ordo, studiosum dicens genus, limae labor et mora, quae omnia in scriptis Ciceronis eminent, in epistolis Hieronymi non ad unguem reperiuntur; tamen quum multis causis sermo

¹ In Ezech. Praef. – Ep. 127 ad Primipiam.

latinus vultum mutaret, quarum tunc non parvi momenti erat translatio illa prae-clara Sacrarum Litterarum, quae *Vulgata* etiam nunc nominatur, necnon sermo africus et rusticus, doctus Dalmata a «barbarismis» et a collocatione contorta verborum plerumque abhorret, quae contra mavult Augustinus. Sed tamen non asseverabo Hieronymum nihil linguae pristina dignitate deiectae concessisse: ille quidem verba inter se repugnantia non omnino contempsit, atque item adnominationem et immutationes quasdam litterarum, et ad libitum saepe circuitum orationis adhibet.

Haec strictim, quae de epistolis indicare possumus. Ceteram vero faciem, quae materiam historiae praebet praetermitto, eam confirmans rem esse magni ponderis ac momenti, ut mores illius aetatis declararentur et celebrarentur. Postremo hoc pusillum opus conficiam, adseverans quos elegantia et animus tener non deficiant, eos in Hieronymi epistolis ad bene beatique vivendum argumentum paratum invenire posse.

Scribeb. S. Ioannis in oppido ad Vallem Arni.

MARTINUS MARTINI.

EX HISPANIA

**Artium recentissima quaeque
Barcinone proposita.**

IV.

Non ingrato adlectorum igniario mirificae Internationalium rerum Exhibitionis, bene magna hominum caterva diversi generis et linguae undeliberat iam venit, sed cottidie etiam et in dies venit veniente ad egregiam Barcinonem. Insolitum

enim quod offert haec res spectaculum suis cum magnificis colluvionibus, superbis palatiis, divitibus collectionibus artis et nitidis creationibus, quas industriae effecere manus: id omne, prospectibus suis insuperabile atque ingeniose inter amoena vireta positum, maximam, ut satis patesci, in visentium animis admirationem excitat. Verum locus, in quo omnes miscentur voces et omnium resonant linguae, est stadium. Itaque *de stadio* imprimis simplicem hodie inducam sermonem.

Stadium, a voce graeca *στάδιον*, locus erat publicus, id est, omnibus patens, passibus viginti quinque supra centum constant geometricis; exercendis equis cursu deserviebat; etiam tunc temporis ut ipsi homines se se in cursibus et in certaminibus exercebant, idoneum fuit. Stadium Olympiae, si pristinis opinionibus fidem adiungere liceat, ab Hercule prima delineamenta duxit. Saeculo IV, ante Christum natum, humani generis vindicem, stadium forma monumentaria non instruebatur, sed tamep stadio Messeniae, in vasta regione antiquae Graeciae sitae, quod ad aetatem illam pertinet, sunt iam lapidei gradus cum scalis et columnarum series circum hemicyclum, quae duplex propylaeon efformant.

Est praeterea animadversione dignum stadium Cibyrae (hodie *Khorsum*), quae urbs Asiae est Minoris in Phrygia sita, et regioni Lyciae adiacet.

Stadium deinceps Aphrodisiae, quae est pariter civitas in ampla regione Caryae (in Asia Minor), peculiarem amphitheatri formam prae se fert. Amphitheatum, a voce graeca *ἀμφιθέατρον*, locum, e quo quis aspicit, significat. Stadium denique Olympicum, locus erat in quem oppidanii Graeci olympicos ludos celebrandi gratia undique convolabant.

Igitur qui nullum ex praedictis stadiis unquam aspexit, hunc repentina rapien-

dum esse admirationis invasione non dubito, ubi oculorum sensu comprehendat ingentem constructionem novi stadii in patulo Montis Iovis agro erecti, eiusdemque immensa ambulacra tabulatorum variis et multiplicibus iudis hodiernis spectandis deservientium. Hoc enim vastissimum aedificium, non vulgo notum, res scilicet omnino nova, quid sublime est, dignum ut animis illud videntibus haeret semper infixum.

In archetypis Europaeis studendis ac cognoscendis summam adhibuit diligentiam clarus vir Domenech et Roura, integræ existimationis architectus, Scholae Professionalis Barcinonensis praceptor atque illustris nominis heres, quod campum civilium morum in Catalaunia dimidium saeculi uberrimo fructu excoluit. Praedictis studiis atque itineribus, quibus ille affabre expolivit mentem, stadium Montis Iovii, ut multorum fert opinio, respondet, quod quidem egregie comparari potest cum melioribus hodiernis, imo haec, extra Wembleyense, suis in dimensionibus superat.

Nihil, brevitatis gratia, de longitudine dicam nec de latitudine stadii huius, cuius superficies est 45.225 m. q., et 62.700 capax est spectantium, nec de apta aedifici opportunitate, ad campum *folliludi*, *hockey* et *rugby* accommodati. Magnus est ianuarum numerus, ut nullius difficultatis, immo perfacilis ex eo sit exitus. Quod ad delineamenta spectat, architectus rem recte attigit, operae classicum communicans et monumentarium sigillum, ratione optime habita elementorum, prout fines, quibus respondere debent, postulant.

Huic non deest stadio elementum allegoricum, seu typicum, huiuscemodi proprium aedificiis, videlicet turris Marathonis, quae, instar immanis acus (italice *Minareto*), ad aethera assurgit, quasi gloriam designans. Haec turris, cuius significationem plurimi abs dubio lectorum

cognoscunt, nos certiores facit celeberrimi cursoris, litterarum monumentis commendati, vere cedro digni, in cuius iucundissimam memoriam hae, quae apice caelum attingere videntur, excitantur in stadiis turres, ubi pedestres cursus celebrantur.

In pugna Marathonia, famae celebritate conspicua, qua Miltiades Persas fregit, dux Atheniensis peditem militem dimisit, ut maxima qua posset celeritate Areopago magnae victoriae notitiam referret, et ita animose fideliterque munus obivit, ut, Athenas attingens, haec verba tantum potuerit effundere: «Vicimus!» et confessim, itineris celeritate confectus, exanimis iacuit. Ioannes Petrus Cortot, sculptor gallicus, habet (in Museo de Seimur), inter sua praeclera opera, statuam huic anonymo cursori dicatam.

Nunc de alia re agam, licet iam absit a nobis paullulum (non enim omnia suo tempore semper dici possunt), quae vestro profecto stomacho erit, carissimi Itali; nam omnes amore sui flagrant. Pulcherrimo sane splendore enituit sollempne festum, quod, summam declarans laetitiam, instituit Italiae Colonia, Barcinone inhabitans, in honorem regii hospitis, insignis regali dignitatis gradu, Principis Uticensis. In periucundum atque opulentissime instructum diversorum, viri fere omnes Coloniae sive ingenio, sive commercio, sive arte praestantes, ultro convenere, ut ornamenta gloriae congererent in illustrem hospitem, qui in hac urbe eximia functus fuerat vice Regis Italiae apud Regem Hispaniae in aditialis exhibitionis actus sollemnitate.

Regio viro, cui se comites exhibuere summus dux et praefectorum coetus navium bellicarum, quibus constat «Divisio navalis» - (quae vulgo appellatur) - Itala, anchoris in nostro portu alligata, obvius ivit eques Lupi, qui est e Fasci secretis, et Fadini, praeses «Domus Italorum»;

interim musicorum coetus effundebat e suavissimo tibiarum clangore hymnos Italicos et Hispanorum.

Clarus legatus Italiae apud Matritenses, demarcus Medici de Vascello, et consul Italiae in Barcinonensi civitate, Guidus Romanelli, tribunus militum, certiorem fecerunt de titulis et nominibus tam Italorum quam Hispanorum, qui aderant, Utinensem Principem, qui statim humanissimis verbis, quae valent ad colligendam omnium benevolentiam, atque animos sibi ac voluntates afficiunt, tum usus est. Quanta severitas in cultu, quantum ponderis in verbis tum deprehendi potuit! Quum primum orationi suae imposuit finem, magnus omnium plausus consequutus est. Convivium mox habitum est magnifico apparatu, mensis exstructis conquisitissimis epulis. Ordine dignitatis accubuere dextra laevaque Principis plurimi praecellarissimique viri, quorum singulorum nomina praetereo, longiore ne oratione utar.

Placidam se paucis post diebus ostendit Itala Colonia erga equitem, excelsum dignitatis gradu, Principem Utinensem ergaque Regiam Italorum classem. In opime strato triclinio divitis diversorii Ritz, Italis resonante Hispanoque hymnis spumanti fertilis Campaniae vino guttura sparserunt. Paullulum serius prope adluit dux Primus de Ribera, cui selecta frequentia se effudit obviam, simul ac Itali plurimam ei salutem dabant. Hic sollemnis actus, cuius erat praeses consul Romanelli, vir optimus, eiusdemque inclita uxor et nobilissimi plurimi, omnibus deliciis, re petente, incessit.

Tandem doctus quinque supra nonaginta musicorum coetus classis navalis Italae, phonasco Petro Aghemo, magnum Palati Nationis conclave, festivis solennitatibus destinatum, primo concentu tibiarum suavissimo, arrectis omnium auribus recreatis, demulxit. Libellus operibus musicis Saint-Saens, Marinuzzi, Mascagni,


Verdi, Aghemo, Respighi et Morera constabat.

Occasione Internationalis Exhibitionis, plurimi conventus (singulis fere hebdomadis), super recentissimis rebus ab hominum industria ingenioque inventis, habentur.

Iucundum sane illuminationis electricae spectaculum, et visu dignissimi, multicoloris aquae ludi se mihi nunc offerebant, de quibus verba facerem vobiscum, lectores optimi; quem enim res sint ad speciem ornatae et pulcherrimae, de ipsis creber est omnium sermo, et fortasse vestras ad aures laetum quoque nuntium pervenit. Sed quia longius sum lapsus quam putabam, adhuc materiam suppeditant copiosam, ubi locus erit, tractandam.

Vici Ausetanorum, xiv kal. Octobres.

I. FONTS.



DE IOANNE BONETTI

Clarus hic vir, de quo nonnulla scribere mihi proposui, Caramanica in Subalpinis natus est anno millesimo octingentesimo octavo et trigesimo. Parentes habuit humiliores sed pios honestosque. Paene puer, post primas domi scholas, ut esset ad altiora natus, pietatis praesertim laudibus clarescebat. Grandiusculus, Augustam Taurinorum, studiorum causa, missus, ab ipso Joanne Bosco inter alumnos fuit receptus, qui litteras latinas colerent. Eodem quasi tempore et pari voluntate Taurinum petit Dominicus Savio, quocum amicitiam iniit, quam una mors intercepit. Erat in puer, praeter docilitatem ingenii, quaedamoris maiestas et vetustas, quae natura pluris aestimabatur, ob eius corporis modestiam, quae clarus explendescebat. Itaque exemplo omnes incitabat et amicos sua consuetudine ita devinxit, ut ipsis nemo per-

petuo fuerit carior. Quo facto, etsi vultu natura austerus aliquando videretur, rigidusque, ea tamen mansuetudine erat atque benignitate, ut omnes, nulla habita aetatis ratione, comiter et leniter cum ipso agerent. Quin imo familiaritatis gratia, iuiores eum saepe blandule atque iocose habebant patremque aliquando appellabant. Nihil tamen hoc nomine amabilius dulciusque, nec quidquam ex reverentia in ipsum derogabat.

Hic enim sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur, omniumque benevolentiam sibi semper conciliaret.

Mirabitur forte quis, quod in amicis eius insistamus, quos eo potissimum nomine aemulari in studiis cupit. Cum Dominico Savio, quem strenuum certamen simul inchoassent, in studio atque in pietate principem locum obtinuit. Pius enim, modestus, integer, quem Deo unice inseruire niteretur, religionem impense colebat. Uno verbo Ioannes est et salutabatur:

Virtutis verae custos, rigidusque satelles!


Namque si Dominicus simplicitate nitescebat morumque mansuetudine, ipse e contrario recti pervicax, atque a prima iuventa, celeritate ingenii excellens, acriorem indolem cum dulcedine componere studuit. Addam libenter: eius observantia omnibus carior erat, quem eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

Quum ad scholas cum Dominico itaret, singulari eius consuetudine usus est, quocum sermo erat communis, studium ac virtutes, ut nunquam melius aptiusque quam cum ipsis accommodari potuerit illa de amicitia sententia: «Eadem velle, eadem nolle, ea demum firma amicitia est!» Scholas gymnasii maturate et cum laude perfecit cum ceteris nostrarum aedium alumnis, partim sub doctrina Iosephi Bonzanino, partimque Matthaei Picco, qui primas facile ferebant in privatis illius temporis scholis.

Uterque, mira animorum aemulatione, multa atque praeclera opera gerere coeperunt. In primis illud maximis laudibus est efferendum, et in posterorum memoria prorogandum, horum suasu atque exemplo, de patris utique consilio, sacra de altari libare quotidie complures apud nos vel illa tempestate consuevisse.

(*Ad proximum numerum.*)

I. B. FRANCESIA.



IN MEMORIAM

IUBILAEI SACERDOTALIS

PII XI P. M.

O D E.

*Plus centena virum millia vidimus
Romae, rite sacro tempore prodito
huc advacta recens undique gentium
omni ex ordine civium,*

*circumfusa viis per vada Tiberis,
per colles celebres, moenia Caesarum,
per regum veterum celsa palatia,*

Sacri ad limina Principis;

*hic ignota prius vidimus, inclytas
Petri reliquias templaque maxima,
Sanctorum statuas, vincula Martyrum,
antra effossa leonibus,*

*praestans artis opus mirificum tholum,
sedem perpetuam, Pontificum domum,
quam unam iure manent munera clavium
Petro tradita caelitus.*

*O mirum! Pius e sede recensuit
quae Christi nova sunt agmina militum
lato instructa foro, candida vestibus,
icto foedere concita;*

*aris mane sacris obtulit hostiam
pacis perpetuam, ter placitam Patri
Supremo, bona qui tempore contulit
natis usque fidelibus,*

*alternis vicibus concinuit chorus
plana voce: Pium Tu Deus adiuva,
Christus vincit, item plausibus omnium,
Christus regnat et imperat.*

*Ingens ipse Pius denique vesperi
incumbens thalamo pacis et hostiam
in theca positam praetulit aurea
flexo poplite gentibus;*

*plebs immensa ruit per fora maxima
hinc visura Patrem e partibus aedium
gestantem manibus caelica munera
snarso milite plurimo;*

*Sacri hinc aeris sonitus, cornua militum
festivaeque tubae, cantus et omnium
in praesens revocant laetitiae dies,*

L. CACACE

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

*De novis rebus
latinis verbis redditis.*¹

Sed iam accipe magnum numerum vocabulorum, quae iussus fundere partim novavi, partim me nescire confessus sum. Suppeditabo praeclaro illi discipulo tuo, « volutatori vocabulariorum » ubi saltet Rhodium. Rem ita instituam, ut vocabulis Germanicis, ut facere consuevi, subiiciam Gallica, (si qua sunt), nullam aliam ob rem, quam quod ista lingua, in qua adolescens mediocriter sum versatus, tamquam pons esse possit, quo transeat in Germanicorum nominum notiones. Cata-launico lexico uterer, si haberem. Est igitur mihi:

Besenzimmer (scoparum locus): scoparium.

¹ Cfr. fasc. sup.

*Büro (bureau) ductus meis vocabularii
feci « tractatorium ».*

Bürobedarf, illa videlicet, quae in tractatoriis necessaria sunt « usum tractatorum » vel « scribarum ».

Possum persequi multa alia vocabula,
sed dudum video me iam non epistolam,
sed librum ad te scripsisse. Et tamen haec
quoque, quae sum dicturus, proponere
cogor.

Erat reddendum nostrum *Abreisskalender* (*calendrier à effeuiller*). Quid dicerem? Dixi « calendarium foliatum ».

- Item illud: *Gesellschaft mit beschränkter haftung* (*société à responsabilité limitée*) dixi: « *societatem* » vel: « *sodalitium partita sponsione* ».

Etiam hoc: *Sortiment*, quod Itali *assortimento* vocare dicuntur, Galli *librairie commission*, Respondi esse, « mercatum librarium commissionarium » vel commissarium.

Postremum hoc: *Rentenzisen*. Quum ego, quid esset penitus ignorarem, ad nostrum descendit procuratorem. — Quae res — inquam — subiecta compositae huic voci sit volo scire. Ille: — Dono dedit tibi quidam millia marcarum triginta. Aliquanto post publica pecuniarum ruina sit redactus ad egestatem. Tu pro iure aequitatis et caritatis pensiones illi ex data summa reddas annuas, *Rentenzisen*. Quum egissem gratias in meam reversus diaetam, «redhibitoria fenora» scripsi.

Non credo quemquam eorum in quorum manus epistola inciderit, dicturum esse inutiles esse has minutis vocabulorum disquisitiones. Quam longum sermonem Gellius fecit, ut *πολυπραγμοσύνην* Latine redderet!

Contra, omnes fatebuntur tempus esse iam, ut aliqua ratione ab aliquibus elucubretur encyclopaedicum lexicon, quo hae minutae disquisitiones fiant supervacuae. Utinam brevi, hoc est, nobis vivis tale in intratae signo civitatis scilicet liberae, inquit, mereor, quo dato, curamus ut omnes fiant liberi, pares et fratres; hanc S. Benedicti regulam in schola sequentes: *una praebeatur omnibus secundum meritam disciplina.* Vitae viam, quaeso, ostende

lucem prodeat vocabularium Latinum,
quale est ut vitam sustentare possit
Sachs Villatte Francogalicum lexicon,
quod nunquam sere frustra evolvo et habet
summam cum brevitate copiam, ut sit
rerum cum veterum tum novarum prom-
ptuarium. Et tu quidem, lucem afferas
rei pulcherrimae. Sed ubi sunt sexcenti
alii, ubi sunt, qui tuo exemplo magno
ardeant studio vivae Latinitatis? Mihi
certe mundus videretur esse melior, si
esset Latinior. Vale.

Fontio, communi amico Vicensi, salutem dicas.

- Ex Aquis Driburgiis Guest-faliae

A. AVENARIUS.

De fluxis gentium vocabulis perennes
in formas latine redactis.

JACOBUS TASSET ANDREAE AVENARIO S. D.

Füllfederhalter quum Turnoduri miles americanus *fontainpen* emebat, et idem quae vendebat gallica mulier *porteplume réservoir* appellabat, tum mihi stillanti iugiter atramentum stili praebebant amb speciem, latine quam mens cogitans facil calatum vel pennam *iugem* nominat.

*Weltanschauung autem quum genera-
liter oculis animi divinarum humanarum-
que rerum proponat contemplationem, me
de iuveni quadam praeceptrice admonet,
quae duobus annis in Africa fuit, et quas
in partes possit longius sitas, a Francorum
civitate mitti, nesciens, domique parentum
Turnoduri ferias agens, ad me venit, ut
universi lingua latina conspectum aliquem
adumbret sibi. Quae me alloquens: « Sub
mitratae signo civitatis scilicet liberae,
inquit, mereor, quo dato, curamus ut
omnes fiant liberi, pares et fratres; haec
S. Benedicti regulam in schola sequentes
*una praebeatur omnibus secundum me-
rita disciplina.* Vitae viam, quaeso, ostend*

mihi, quam te Francorum et Britannorum atlantica, coraeanaque docuit. Iaponensium Minerva? Decet enim docentem rudimentum gentium societate magistrum, continentis audire veteris ac novae sententias».

Cui respondens ego: *Ut omnes unum sint*, inquam, constanter elaborandum est, etsi lingua, moribus et institutis inter se differunt Germani, Seres, Aethiopes,

Corpo diversi sed mentis lumine fratres.

Ignibus enim metallisque potens ille puer adolevit, quem Vulcanum nascentem *Pollioni praecinit Vergilius:*

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Et in hoc genus hominum opificum cavit illud optime:

Urbem fecisti quod prius orbis erat.

Is enim faber, quum ferro mare nivagatum et stratas terras, sublimi teneat classe, multasque linguas ignis celeribus undis audiat allatas, totius orbis est profecto civis et incola. Quas prorsus gentes in unum contrahit deflagrationis internae motu biremis, eas operum, rerum, legumque necessaria uti communione, vulgo demonstrat ipsum carbonis fossicii fervens anima, tot operibus unitis, caseum.

PRAECEPTRIX. Id restat ut hanc negotiatorum civitatem magnam foedere gentium tueatur populus rex libertas. Verum quem hominem docebo pueros divino cultu diversos? - Verbis Ciceronis Atlanticus Coraeanus respondi: - « Hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligentum et agendum esse natum, quasi mortalem deum ». Huius divini, quod parit, anima lis secretum, pars venerantur crucifixi, pars in calyce loti sedentis signo, bona voluntatis homines. Secretum illud quod sola reverentia vident, ut ait Tacitus, et saeculi vices mortali natura patitur, et e palidis infernae luto immaculati

resurgentis animi fructus aeterna quiete.

¹ De Fin., II, 13.

PEREGRINUS IN URBE

Sine, candide lector, ut libero ore Tibi referam, sin tamen rotundo atque terete, quae istoc saeculo fluide labuntur. Nosti, imprimis, Marcum Gagliuffi, qui ineunte saeculo nuper elapso natus est et mira eruditio percrebuit, claruisse et primas facile retulisse in versibus latinis ex tempore serendis. Invitatus quadam die ad decorandum Christophorum Columbum, nulla interposita mora, graphicè Genuesem navitam depinxit hisce verbis, quae viva per ora hominum volitant:

Unus erat mundus: • Duo sint •, ait ipse. Fuere!

Paulo ante Roma una erat, nunc, plaudentibus late omnibus gentibus, duae admodum sunt.

Haec autem felix rerum hominumque conditio exstat, ut novus omnino temporum ordo nascatur. Altera enim est rumoris civitas, clamoris, et negotiorum, et in primis iocorum atque circensium, uti plerisque visa est Regina gentium; altera vero quae a Vaticano merito adpellatur, silentio quodammodo sacro circumfusa, etiam si crebris ac perpetuis peregrinantibus invisit, haud antiquam naturae morem amisit. Eadem est vera gentium mater, omniumque magistrorum magistra!

Id mihi in mentem identidem ipsa hominum multitudo, qui ex omnibus et dis-sitis regionibus profecti, Romam laetissimo vultu contendunt!

Haud sum equidem nescius, nuperrime, in ipsa Petriana aede, iuvenes omnium nationum Pontificem Maximum adclamasse, et plaudentibus cunctis circumstantibus, sudariola per aërem ventilantibus, Ei omnia fausta laetantes adprecari. Sunt enim iuvenes, et mutuus animis amant, amantur! At quae hominum multitudine vestiumque varietas!

Et quotidie, per marmoreas illas scalas, infinita hominum multitudo venerabunda ingreditur, ibique versatur, deambulat, et quasi in aedibus suis libere vivit.

Haec atque alia mente volutans, ad deversorium redii, ut aliquantis per quiescerem. Hic vero hospites inter se se, diversis alloquiis, multa serebant, antequam ad mensam accumperent.

Hic unus e turba sermonem obloquentis interrumpens, voce elata exclamavit: - Vivat populus Romanus, qui « dum stuper, obtutusque haeret defixus in uno », immortalem Romae magnitudinem respiciens, instabiles vulgi opiniones est aspernatus!

Quod quidem universi circum conclamantes una voce adprobant.

Hic, uno temporis momento, mille simul explodunt sermones.

Quis vero adhuc de ferculis cogitat, quis ea curiose numerat? Alio enim et longissime omnes ferimur, sed in eodem ferme usque argumento, de Pontificis Maximi scilicet amplitudine, « qui animos aequavit Olympo », colloquuntur.

Quamobrem, ipsi pueri, qui vel inter tot hominum colloquentium strepitus, vix suffientes sermones arripiunt, nova tempora maxime laudant, et futuram felicitatem ausplicantur, quae ipsis est in maioribus strenis posita.

Dum laetantes de mensis adsurgunt, atque alii dilapsi, exspectant potionem ex arabicis fabis confectam, sumumque tabaci avidissime haurire coepérunt, senex quidam qui laetissimus hactenus totis auribus sermones tacite acceperat et mente secum revolvebat, veluti a somnio expergescens, ad comites conversus dicit: - Cur vos tam nostri estis, idest Itali, ut ne unum quidem verbum dicatis, de iis, quae extra Urbis pomaerium eveniunt? Nulla est denique alia natio in universo terrarum orbe?

- Quid dicis?

- Quo haec verba captiose contendunt? Tunc senex: - Nonne fortassis ad aures vestras pervenit Urbs nomine Hagae Comitis, vulgo *Aia*, in Batavia? Illic enim, ut Vergilius verba modice equidem conversa, mutuem

Illic res Italas Romanorumque triumphos

memorant Delegati omnium Nationum. At quam insidiose, quamque periculose! Suam quaeque natio utilitatem unice quaerit, et res lente progrederit, ut qui « incedit ignes suppositos cineri doloso »! Eheu! Omnes quae sua sunt quaerunt!...

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITÆ

Benevolentia amissa.

- Incredibili me affectum sollicitudine sentio (angor intimis sensibus; compulsum me vidi in magnas angustias): patris enim (fratris, amici, etc.) offenditionem incurri (in offenditionem cecidi; offenditionem subii). - Magno casu defungor: patris studium (gratiā; benevolentiam) amisi (perdidī). - A patris gratia, qua fruebar antea, prorsus excidi. - Ex animo atque amore patris effluxi. - Non amplius pater in me bene animatus est. - Non amplius patri sum carus (gratiosus). - In patris gratia amplius non sum.

R. - Ob quam causam calamitatem hanc indignissimam subiisti (cepisti, hau-sisti)? - Quae fuit causa ut gravis haec calamitas (gravissimus hic casus) te afflixerit (tibi evenerit)? - Unde grave hoc damnum accepisti (gravem hanc iacturam pertulisti; es passus)? - Unde est factum ut huic infelicitati (rei tam adversae) obnoxius fueris?

— Calamitatem hanc mihi ipse peperi (creavi). — Ipse ego in caput meum hoc infortunium arcessivi. — Calamitatem cudi ipse meam. — Sum huius, quam fero, miseriae ipse causa (infortunii fabricator; mali architectus et auctor; calamitatis artifex).

Titius me apud parentem in invidiam vocavit (a me patris voluntatem abalienavit). — Titius in me patris offensionem concitat (suscitavit invidiam, odium commovit). — Titius mihi hanc perniciem intulit (hoc exitum creavit; hoc infortunium peperit; calamitatem hanc importavit). — Mihi exitio fuit. — Mihi infelix fuit.

Averte, quaeso, ac detesteris hoc omen: fac ut pater me in gratiam recipiat (cum patre in gratiam redeam). — Benevolentiam patris tecum instaures (in me reducas).

R. — Immo in hoc animo libenti prolixoque operam meam conferam. — Id quidem non invitus (non moleste; non gravate; non invito animo) faciam. — Id profecto animo libentissimo (aequissimo; non repugnante; non coacto) curabo. — Non invita quidem Minerva agam.

Faxit Deus (Faxint Superi) ut te patri (cum patre) iterum conciliem! — Animum patris tibi pro viribus reconciliabo (recolligam). — Omnes dabo operam ut te in gratiam cum patre omnino reducam (ut cum patre tu in gratiam redeas; ut tibi voluntas parentis reconcilietur; ut tecum pater redeat in gratiam; ut te pater iterum accipiat in gratiam). — Rem ita quantum potero tractabo, ut patris animus, qui ante erat, studiosissimus tecum redeat.

Rationes ita apud patrem tuum geram, ut si quae falsa et iniqua criminatio (malevoli facti criminis offensio; commenticiae culpae maleficiosa obiectio) apud illum intercesserit, ea prorsus debelletur. — Hoc negotium ita apud patrem tuum curabo, ut Titii malevolentia, qua tibi crimen intentavit, detegatur. — Ut pater te fictis criminibus laesum (falsis criminationibus in-

festatum) agnoscat, atque ideo statim in gratiam recipiat. — Te in calumniam struciam (affictam; textam; excogitata) cedisse intelligat teque nunquam ipsius amore et gratia indignum fuisse.

— Tuis consilis faveat Deus (adgit Numen; Caelum adspiret). — Tua consilia fortunent Superi (ad optatum exitum quam citissime Deus perducat).

Si id fueris consequetus, tibi gratificabitur Deus (in te caelestia munera confluent; exquisitis Deus te beneficis cumulabit; tibi Superi suum favorem impertientur).

Negotia improspere gesta.

— Negotium suscepit (me negotio impli-
cavi; irretivi; illaqueavi; oneravi) quod male cessit (cedidit; vertit). — Improspere negotium cecidit. — Malum (infelicem; im-
prosperum) exitum habuit (consequutum est). — Negotium egi (obii; curavi; suscepit;
administravi; tractavi; sustinui) quod aliter re accidit ac optabam (opinabar; secus ac sentiebam; aliter atque sperabam;
contra quam fidebam; praefter opinionem evenit).

Mihi urgens negotium iniunctum est (subitae operae negotium est impositum;
festinam operam demandans; celeris operis functionem indicens), quod plane decidi-
dit. — Gravi negotio (in grave negotium)
me interposui (implicavi; admiscuri), quod in deteriore partem dilapsum est. — Rem humeris meis graviorem mihi sumpsi (am-
plexatus sum; procuravi; procurandam suscepit), quam expedire (explicare; eno-
dare; excutere; extricare) non valui.

Alieno negotio (in alienum negotium)
me interposui (mihi curandum sumpsi;
mihi ultro arrogavi) quod evolvere ne-
quivi. — Me alienis negotiis immiscui (adhi-
bui; implicavi; interposui), quae me in
angustias compulerunt (arcte coarcteque
me habent; quae angustiis et faucibus me
premunt). — Me totum alieno negotio tra-

didi (totus alienum negotium invasi), in quo heu! nihil prorsus video (penitus cae-
cutio; nullum exitum reperio). — Alienam
studiosae (cupide) sum amplexatus,
cuius tamen exitum expedire nullo modo possum. — Impeditum tenebrisque velut
involutum mihi videtur esse hoc, quod me
occupat, negotium; tu mihi occurras (pro-
videas; prospicias).

Mercaturam feci (exercui); mercatorem
egi; mercatura operam dedi (navavi; in-
cubui); ad quaestuosa negotia (ad mer-
cium negotiationem; ad mercaturaem com-
pendia et quaestum) animum adieci, resque
ita cesserunt, ut plane decoxerim.

Rationes meae ita sunt conturbatae, ut
soro cedere (mensarias rationes creditoribus
renuntiare; sortem et foenus renun-
tiare; caput et usuras renuntiare) prope
sim coactus. — Ut nomina fidesque (credit
expediendi pecunia) creditoribus renun-
tianda iam mihi sint. — Ut bona mea cre-
ditoris (in publicum) addictura (adiudi-
catura) proxime sint. — Ut bonis meis
multari debeam. — Ut bona mea iam sint
publicanda (proscribenda); tu, precor, di-
gnitatem meam spectes (dignitatis meae
rationem habeas).


Vide famam (existimationem; nomen
egregium; honorem; gloriam; decus;
bonam opinionem) quam apud homines
fueram consequutus (adeptus; mihi colle-
geram; pepereram; paraveram; concilia-
veram) in quod discrimen devenerit! —
Videas me apud omnes gratia et aucto-
ritate florentem (gratia valentem; gratio-
sum; auctoritate pollentem; qui maxima
gratia [magno loco] eram; qui plurimi
pollebam), iam perdita auctoritate homi-
nem (qui excedit auctoritate et gratia;
cuius gratia convolvitur; excidit; abole-
tur) esse.

Heu! fidem labefactavi (consumpsi);
fides me desertura (relictura) iam est. —
Fidem iam nullam apud alios habeo. —
Homo iam sum sine existimatione et no-

mine (cuius auctoritas nullius est ponde-
ris; nihil habet ponderis; nullius est mo-
menti). — Existimatio mea apud alios
minuta (convulsa) est. — Mea fides et au-
toritas derogata (abrogata; infirmata)
est. — De mea auctoritate detractum (de-
rogatum; delibatum) est. — Male iam audio
et infamia flagro. — Alienam existimatio-
nem perdidii.

(Ad proximum numerum).

I. F.



AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive pracepta medendi ge-
neralia ex pluribus casibus particu-
laribus abstracta, ex variis aucto-
ribus collecta.¹**

§ 192. — Iliacae passioni si spontaneus
alvi fluxus supervenit, aut acuta febris,
brevi morietur aeger.

§ 193. — Iliacae passioni quo fortiora
adhibueris remedia, sive purgantia, sive
clysteris magis irritantes, eo magis ob-
structur alvus ob auctam ab illis febrarum
intestinalium crispaturam et contracturam:
Conveniunt magis anodyna, emollientia et
dissolventia, etc.

§ 194. — Si ilio superveniunt urinae sup-
pressae, stranguria, singultus ventris (inflati-
fi, aut convulsiones, malum erit lethale.

§ 195. — Saccharata hypochondriacis,
hystericis et pueris non conducunt.

§ 196. — Lingua sordida et manus tre-
mulae, in acutis, semper periculum por-
tundunt.

§ 197. — In malignis febribus, in quibus
a centro ad ambitum corporis noxius hu-
mor pellendus est, ante expulsionem respi-
ratio laboriosa est, et ingentes praecordio-
rum anxietates adsunt. Facta expulsione;
paullatim declinant: idque in febribus pe-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iulii.

techialibus, morbillosis, variolosis, scarlatinis et similibus observavimus non semel.

§ 198. - Pruritus narium est infallibile signum synochi simplicis, nec non lenis mador cutis (WALDSCHMIDIIUS-BAGLIVUS).

§ 199. - Observavi lypiriam febrim superveniente cholera, statim ac prorsus pluries feliciter cessisse. - *Lypiria febris est febris biliosa, sive ea quae a suburra putrida biliosa, primas vias occupante oritur: frequens est mense Augusto. In Hungaria praecipue vidi ipsem saepissime sponte ortu cholera cito cessisse. Curatur optime emeto catarsi, quale medicamentum habetur in tartaro emeticō magna aquae quantitate soluto, et per epocrasin sumpto.* (TISOT, de febre biliosa, LAUSAM, STOLL).

§ 200. - Guttas rosaceas aliasque faciei morbosas rubedines, irritis aliis, cauterium eruribus affixum sanat; idque quibusdam pro secreto est. (BAGLIVIUS ex Mercuriali).

§ 201. - Febris, quae cum magna syncope, singulu et vertigine incipiunt, vocantur a medicis syncopales, singultuosae et vertiginosae. Harum curatio statim inchoanda a vomitorii est, nam fomes febribus in ventriculo latet.

§ 202. - In faciei morbis purgantia omnem absolvunt paginam, ut, praeter experientiam, testatur div. senex HIPPOCRATIS, et lib. de diaeta.

§ 203. - In febribus vel aliis quoque morbis, qui cum magna anxietate incipiunt, aegri inquieti sunt, loco stare nesciunt, hinc inde per lectum agitantur, etc.: acris humor tunicas ventriculi afficiens accusari debet. Unicum remedium est vomitivum antimoniale; nam absoluto vomitu, statim liberatos vidimus. Multo magis si cardialgia et affectibus stomachi sensibiliter laedatur patiens. Post vomitoria ad praecautionem dari poterit pulvis March. cornachini.

§ 204. - In lethalibus pulmonum morbis, cum febri et sine febri, fere semper circa

finem observavimus affectiones capitis, soores nempe, lethargum, vertigines, oculorum caligines, etc.

§ 205. - Erysipelate faciei laborantes vidi brevi curatos post praescriptum purgans remedium, naturae aegri accommodatum. Idque in secretis erat medico Pavatino mihi amicissimo.

§ 206. - Prodest venarum haemorrhoidalium aperitio iis praecipue, qui hypochondriorum morbis, doloribus scilicet et caloribus eorumdem, gravitate lumborum, flatibus, tensionibus, borborygmis, aliisque huiusmodi naturalium viscerum, et quam plurimis vitalium et animalium laborant.

§ 207. - Si pleuritici non repurgari incipiunt die quarta, sed febris augeatur cum aliis symptomatis, nec non magna spirandi difficultas illis superveniat, septimo die moriuntur. In hisce pedes tumefieri incipiunt ante mortem, et oculi caligant.

§ 208. - Qui aneurismate interno laborant, vel ex sputo sanguinis, vel derepente moriuntur. Caveant hi omnes a nimio motu, ira, venere, liquoribus spirituosis, et omnibus quae sanguinis motum adaugent et perturbant. Utendum diaeta lactea, cibis aliquantum viscidis, et motu moderato.

§ 209. - Pulsus durities semper comittatur pleuritidem; mollities vero alios pulmonum morbos. Quod tibi sit inter signa distinctiva morborum pectoris difficillime cognoscibilium.

§ 210. - Si quis tussiendo alba quaedam veluti granula excreaverit, et granula illa, compressa digitis, summopere foeteant, vomicam pectoris latentem certo denuntiant; praesertim si alia quoque aderint signa. Hi supra vomica, ut plurimum, derepente moriuntur (FORESTUS).

§ 211. - Omnes aliarum partium suppurationes manifestantur per rigorem et febrim supervenientem. Sola pulmonum suppuratio, id est vomica eorumdem, clanulum, et sine praedictis signis supervenit. Quod serio notent iuvenes.

§ 212. - Si angina vera inflammatoria, et, ut vocant, sanguinea, bina sanguinis missione non cedat, cucurbitulas scarificantes scapulis imperato; et in melius statim abibit, ut pluries vidimus.

§ 213. - Mulierem frequenter anginae obnoxiam, irritis aliis, liberari excitato cauterio in brachio vidimus. Imo in morbis circa collum et faciem proficia semper sunt cauteria et scarificationes in scapulis.

§ 214. - Si in morbo aliquo appetitus sit prostratus, postea vero drepente superveniat maximus, non praecedente ulla crisi, nec imminutione morbi, paulo post moriuntur aegri. Significat enim cerebri laesionum et virtutis sensitiae extinctionem. (SENNERTIUS).

§ 215. - Nemo ante BAGLIVIUM vim corticis peruviani expertus est in cylstere. Hic enim primus puer quinquenni omnia remedia per os sumenda respuiti, in tertiana duplice, inieci mane cylstere evanescante, post elapsam semihoram curavit iniiciens aliud ex aqua hordei et drachiae unius corticis. Idque repetit singulis diebus. Post iniectum tertium cylsterem febris cessavit.

§ 216. - In pleurite tamquam pestis fugienda sunt purgantia.

§ 217. - Duo maxima remedia in chronicis obstructionum morbis sunt: chalybs et rhabarbarum. BAGLIVIUS ita praescribit: R. Chalybis sulphurati vel alterius gr. 15, Rhei elect. scrup. un. M. Sumat prodosi et superbibat.

§ 218. - Morbi ab animi pathemate pendentes blande et leviter tractandi sunt. A nimia medicamentorum copia et vehementia quam maxime abstinentur.

§ 219. - Desideramus historiam morborum ab animi curis provenientium, in qua scilicet explicitum qui potissimum morbi, a quovis animi motu oriuntur, etc.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

ANNALES

Hagensis conventus et Nationum Societas.

Ex Hagensi conventu, qui non fausta satis initia sumpsit, omnes, e contra, sine querela discessisse videntur: ut de Anglis non loquuntur, Germani, qui exterrum cospiarum demigrationem e Rhenia obtinuerunt, Galli, quoque, et Belgae atque Itali, quibus si aliquod sacrificium substinendum fuit, ut Anglicis postulatis aliquo modo accederent, sua tamen iura satis tueri potuerunt.

Sed pacis spiritus maxime in Hagensi conventu suum quaestum coluit, quemadmodum manifesto apparuit in quinquagesima sexta Societatis Nationum sessione quae, paucis diebus post, Genevae habita est, ubi tum novus Anglii gubernii moderator Mac Donald, tum Briand, Galorum ad exteriores minister, disertas copiosasque orationes habuere, alter ut navalium armorum depositionem, alter ut a Nationum societate poenas in belli promotores postularet. Efficacius Italorum legatus Scialoia, iis assentiens, declaravit Italicum regnum iam ratam habuisse obligatoriam Hagensis supremi tribunalis iurisdictionem de quibusdam casibus ad rem spectantibus.

Ceterum Mac Donald in septentrionalem Americam profectus deinde est, ut apud Foederatarum illarum Civitatum gubernium de deponendis navalibus armis cogitata sua patescaseret, defenderet atque perficeret.

**

Belli rumores.

Interim belli rumores hinc illinc audiuntur.

In Palaestina enim Arabes in Hebraeos acerrime saeviunt, quos tutrix Anglia

cohibere nequit, ita ut et Angli milites cum Arabis conflictari sanguinemque effundere cogantur.


Russi autem atque Sinenses, licet in bellum denunciatum et indictum non descenderint, in suis finibus cruentas incursiones hinc inde obducunt; Germaniaeque mediaticri Moscoviae gubernium respondet de novis vexationibus contra « sovieticos » in Sinis cives querens.

**

Germanorum luctus.

Germani, Stresemannum lugent, apud exteriores suum administrum, repentina fere morbo corruptum; non solum quod Germanicae civitatis acerrimum adserorem amiserint, sed virum qui in ipsa domo, tot factionibus agitata, publicam rem valide tueretur. Evidem paucas post horas ex quo eloquentem orationem ad animos conciliandos habuerat atra mors eius vitam demessuit!

POPPLICOLA.



VARIA

Urbs Ticinum flamonis deleta.¹

Pannonii, castris ad Ticinum positis, quum oppidanis suadere minime possent, ut se pecunia in libertatem vindicarent, ira quam maxime incensi, inde non prius abire constituerunt, quam urbem solo aquassent. Sed quum bellico omni carent instrumento, quo moenia disicerent, vel perrumperent, arboribus circa passim caesis, iisque coacervatis, venti impetum exspectarunt. Quo exorto, ligna incende-

¹ Ex Europae historiis italicice scriptis a F. GIAMBULLARI.

runt, additis undique diligentissime escis, adeo ut flammæ, moenia supergressæ, indeque impulsæ, incendium longe lateque in urbem intulerint. Debacchantem ignem restinguere, nec fugam capessere potuere cives, præclusa omni salutis via, Pannoniisque effugium ex omni via prohibentibus. Quare iv idus martias anno post Christum natum nongentesimo quarto et vigesimo regia urbs Ticinum, Langobardorum regum sedes præcipua, in cinerem paene fuit redacta, civibus prope ad internacionem actis.

I. P.

**

De Leone Fabellæ.

IV

LEO ALEXANDRINUS.

*Albo lapillo dicerent quam veteres
foret signanda procul dubio dies,
Exorta in urbe ab Alexandro condita,
Leonomque stirpi certe clarissima,
Haec urbs enim crevit et pulcritudine,
Omnes Orientis supererat divitiis.
Quot cives, mores, litteraeque candidae,
Viri quot barba sunt prolixa celebres!
Quibus me tricis longis sed quod implicor?
Est imperator, sua qui praesentia,
Honorat urbem, ludos et exhilarat!
Enim sunt publici ludi cum bestiis...
Potesne in Africa amotis nobis ludere?
Domus nostra silvae, sumus nos indigetes!
In media servus cavea stat positus
Et propter fugam condemnatus conteri.
Tacet, luget, circumspicit miserrimus...
Sua sed morte, mores qui turpissimi,
Est princeps gentium laetandus populus!
Nos et vocamur improbi præ faucibus!
Exit Leo laetus, comas et quatiens,
Et omnem saltibus percurrit caveam,
Suosque voce spectatores territat.
Suam mox prædam subodorans avidus,
Praegustans sanguinem, sistit et subito
Ad pedes alacer victimæ procubuit.*

*Ingens de cavea rumor extollitur,
Et admirantur omnes id prodigi,
Leo qui ferox osculatur hominem.*

*Inane interdum belluam cum fustibus
Custodes cursitant, ad vorandum stimulant.
Leo respondet manus servi lambiens!*

*Silentium fit in circu... Tunc servulus
Narrat leoni quid aegroto fecerat,
Domo cum fugisset laccusitus virgulis:
« Leo mihi gratus parcer, aget quid homo? »*

*Tunc imperator motus sic clementia
Servum sibi vocat, proclamans liberum.
Theatrum sonat spectatorum vocibus,
Leoni et gratias ferunt innumerab...*

*Datur vindicta fortunato servulo,
Datur leoni, pro naturae viribus...
Nil etiam datur carius mortalibus
Homo quam gratus pro recepto munere.*

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Pulmentum porrinum.
Sardinae et cammaruli fricta.
Tergum vitulinum assum cum lyco-
persici esculentis fartsis.
Acetaria ex faseolis.
Placenta ex malis Persicis.*

**
locosa.

Sutor, calceos puerolo aptans, et mercem suam commendans, illius matri:
— Fidem do tibi, huiusmodi calceis filium tuum per decem annos deambularum!

Magister Tuccio:

— Si tibi tribus nummis te donavero, paterque tuus quinque addiderit, quot nummos in pera habebis?
— Decem...
— Ehm!
— Duos enim iam habeo.

Aenigmata.

I

(vulgo *Rebus*)

INCOMMODUM

INCOMMODUM

INCOMMODUM

INCOMMODUM


INCOMMODUM

SENI

II

A teneo: vado per vicos, vado per urbes.
E teneo: cupas fabricor arte mea.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Os. 2) Eva-Ave.



Libri dono accepti.

APULEI Metamorphoseon libri XI edidit
CAESAR GIARRATANO, in aedibus Io. Bapt.
Paraviae et Soc. (Aug. Taurinorum, Mediolani, Florentiae, Romae, Neapoli, Panormi),
MCMXXIX (Ven. lib. 34).

LUIGI TABERINI. Currus Fabriani, Ad Anconam præclaram fortèmque urbem Carnina (1919).

ID. Fascis Lictorius, Alcae naufragium. Carmi alcaici con traduzione italiana e note (Anconae, ex typ. Dorica, 1923).
ID. De præmiorum assignatione in gymnasii instauranda. Alcaica latina e italiana (Anconae, indidem, 1925).

ID. Aviae munuscum. Carme latino con traduzione italiana (Neapoli, ex off. Pironti, 1930).

Laertiades. Carmen JOSEPHI MORABITO in certamine poëtico Locrensi magna laude ornatum. (Locris in Brutiis, typis Franco et Pedullà, MCMXXIV).

PAUPERRIMUS BONORUM [4]

CARMEN FRANCISCI SOFIA-ALESSIO

IN CERTAMINE POËTICO HOEFFFTIANO MAGNA LAUDE ORNATUM

Aedibus in sacris spoliatum lumine corpus
 Nocte locant fratres, referunt et nobile carmen:
 Sit semper Tibi laus, Omnipotens Deus,
 Ac laeto referant carmine gratias
 Cuncti: dignus amore
 Es tu; gloria sit Tibi.
 Quis proferre queat nunc venerabile
 Nomen? Concelebrent cuncta decus tuum:
 Cantus personet orbem
 Dulci nunc modulamine.
 In primis Dominum Sol canat aureus,
 Qui promit radians lumina fulgida,
 Ac splendore venustus
 Divam praebet imaginem.
 Laudent usque Deum lucida sidera,
 Quae, clara specie, fixa micant polo.
 Noctu candida luna
 Laudet Numen amabile,
 Ac fulgens celebret viva flammula,
 Quae noctis tenebras discutit horridas:
 Plenae lampadis ignis
 Semper pervigil ardeat.
 Vos aurae tenues, humida nubila,
 Venti, flustra poli, fluxaque tempora,
 Iam laudate benignum
 Numen saecula per omnia.
 Lymphae vos humiles, flumina, rivuli
 Et fontes, Domino dicite carmina,
 Ac vos, murmure blando,
 Undae, per maris aequora.
 Tellus, magna parens, quae viridantibus
 In campus segetes atque animalia
 Nutris, funde canora
 Alma carmina Numini.

¹ Haec Ode paraphrasis est illius hymni « Ad Solem », quem S. Franciscus vulgari eloquio fecit.

Vos, qui rite pii parcitis omnibus,
 Ac fertis placido tristia pectore,
 Iam sublime poema
 Magna laetitia date.
 O mors, quae spolias corpora lumine
 Terreno, Dominum tu cane denique:
 Vae mortalibus illis,
 Qui laudent graviter Deum!
 Felices animae, quae mala nesciunt,
 Ac cedunt Domini divite gratia,
 Nec, post fata, doloris
 Aeterni subeunt loca.
 Res cunctae, modulis denique dulcibus
 Iam laudate Deum, qui bona condidit:
 Illi carmine blando
 Dignas reddite gratias.
 Conticuitque Pater; simul omnia nocte sile-
 bant: [bant:
 Moxque dolens, similis meditantis: Proh!
 [pudor! inquit,
 Nos satis irruimus, sat desolavimus orbem!
 Nondum composuit gladios Europa minaces,
 Non dedimus, pueri, nos oscula mutua Pacis:
 Eheu! gens gentem magno discrimine vexat!
 Quam bene Franciscus certamina dura dire-
 mit: [mit
 Olim, cum rabies saeviret caeca per urbes!
 O utinam populi tandem mitescere discent,
 Atque sequi Patris nostri vestigia sancta.
 Sic fatus monachus suppressa voce precatur,
 Succiduoque genu Dominum veneratur, et
 [omnes
 Dimitit pueros, dum personat aëra gryllus.

FINIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.